



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

II. De Lege.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Post Adæ lapsum, hominis naturales vires man-
integras, & incorruptas, & Hominem naturaliter habere
rationem rectam, & bonam voluntatem, sicut philo-
sophi docent.

N Et: Hominem habere liberum arbitrium facien-
bonum, & omittendi malum, & econtra, omittendi
bonum, & faciendi malum.

Item, Hominem posse naturalibus viribus omnia
mandata Dei seruare & facere.

Et: Posse naturalibus viribus Deum super omnia
diligere, & proximum, sicut seipsum.

Item, Si faciat homo, quantum in se est, Deum la-
giri ei certo suam gratiam.

Et: Si accedere velit homo ad Eucharistiam, non
opus esse bono proposito rectè faciendi, sed suffice-
re, si non adsit malum propositum peccandi: tantum
bonam scilicet esse naturam, & tantam esse viam sacra-
menti.

Item, Non posse ex scriptura probari, ad bonum
opus necessario requiri Spiritum sanctum & eius gra-
tiam.

Talia & similia portenta, orta sunt ex inscitia, &
ignorantia peccati, & Christi seruatoris nostri: sunt
verè & merè ethnica dogmata, quæ tolerare non po-
sumus. Si enim ista approbantur, Christus frustra mor-
tuus est, cum nullum peccatum & damnum sit in ho-
mine, pro quo mori eum oportuerit: aut solummodo
pro corpore mortuus diceretur, non pro anima, quæ
doquidem anima prorsus sana, & solum corpus ma-
obnoxium perhiberetur.

II. De Lege.

Sentimus, Legem à Deo datam esse, primum, ut pe-
ccatum prohiberetur comminationibus, & me-

pœnarum. Item, promissione & annunciatione gratiæ & beneficiorum. Sed hæc omnia propter malitiam, quam peccatū in homine effecit, malè cesserunt. Quidam enim inde deteriores redditi fuerunt, qui scilicet legem oderunt prohibentem ea, quæ facere ipsi malent, & præcipientem, quæ grauatim præstant. Quare, nisi pœna coerceantur, plura patrarent contra legem, quam antea. Atq; hi sunt mali, effrenes, & securi homines, qui perpetrant mala, quoties occasionem aliquam offerri sibi animaduertunt.

Quidam verò arrogantiæ & cæcitate percuriuntur, & insolenti opinione tenentur, se seruare, & posse seruare legem viribus suis, sicut iam paulò antè de scholasticis doctoribus dictum est. Hinc hypocritæ & iustitiarij, seu in speciem sancti, proueniunt.

Præcipuum autem officium & ἐπέμεια legis est, vt peccatum originale & omnes fructus eius reuelet, & homini ostendat, quam horrendum in modum natura eius lapsa sit, & funditus ac totaliter deprauata, ita, vt Lex ei dicat, hominem nec habere, nec curare Deum, & adorare alienos Deos: id quòd antea & sine lege homo non credidisset. Hac ratione perterrescit, humiliatur, prosterhitur, desperat de se ipso, & anxie desiderat auxilium, nec scit, quòd fugiat, incipit irasci Deo, & abmurmurare præ impatientia. Hoc est, quod Paulus inquit Roman. 4. Lex iram operatur. Et Roman. 5. Lex auget peccatum. Lex subintravit, vt abundaret delictum.

III. De Pœnitentiâ.

HOC officium Legis retinetur in nouo Testamento, & in eo exercetur, vt Paulus Rom. 1. facit, inquit: Ira Dei de cœlo reuelatur super omnes homines. Et 3. Omnes sunt rei corâ Deo. Nemo homi-

num